

ANNO DOMINI MCIV

VEN. GUIBERTUS

ABBAS SANCTÆ MARIAE DE NOVIGENTO.

GUIBERTI OPERA

Prodeunt nunc primum in lucem una cum appendice ad librum tertium De Vita ipsius, nimirum Hermanni monachi libri tres, De miraculis S. Mariæ, sive De reparatione Laudunensis ecclesiæ; De Gestis Bartholomæi episcopi; ac De origine et incremento Præmonstratensis ordinis. Item Notæ et observationes vetustis monumentis refertæ ad quosdam V. Guiberti libros. — His accedunt additamenta in quibus Vitæ S. Geremari, B. Simonis comitis Crespeiensis, et S. Salabergæ abbatissæ; nec non Hugonis Rothomagensis archiepiscopi libri tres Dogmatum Christianæ fidei contra hæreticos sui temporis; et Roberti de Monte Accessiones atque Appendix germana ad Sigibertum.

Omnia studio et opera domini Lucæ d'Achery, monachi Benedictini congregationis S. Mauri.

(Lutetiae Parisiorum, sumptibus Joannis Billainé, via Jacobæa, sub signo S. Augustini, MDCLI.)

PROLEGOMENA.

AMPLISSIMO

DD. MATTHÆO MOLE

SENATUS PARISIENSIS PRINCIPI.

Quo tandem animo, protopræses amplissime, Guibertus hic noster orbem denuo lustrare gestiat, non satis mihi compertum minime diffitebor. Jam per multa temporum curricula in bibliothecæ tranquilla statione positus dormierat inter mortuos liber Guibertus; quis suscitavit eum? Certe quidem non edit lucem qui summo labore et cura per maxima tot pestileras ævi sui errorum hæreseonque tenebras e mentibus hominum et coram et scriptis propulsare, atque divini verbi ac theologicæ veritatis præconibus faciem præferre non destitit: ut coævis verbo, sic et posteris nunc scripto, novo quasi exortu affulgeat sapientissimus abbas; memor sapientissimi regis effati, imo Sapientiæ increatae: *Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque* (1)? Attamen meminit *doctus iste Scriba, qui profert de thesauro suo nova et vetera* (2), quod veritas odium pariat, quod et omni sæculo non desint *qui maledicunt diei* (3), qui que fugientes lucem, privata ne arguantur opera, aliorum insultant operibus. Quo pacto itaque tam diurnæ quieti valedicere non timet? Quare ne dum lucentem, sed arguentem audet hisce temporibus aperire veritatem? Quantum capio, protopræses illustrissime, idem quo usus est dum in vivis ageret, nunc etiam adhibere cōsilium ducit opportunum. Dum etenim operi cuiquam extremam manum imposuisset, velletque uris facere publici, nihil habuit antiquius quam ut procerum animos sibi devinciret, patronosque omni fide maiores suæ compararet doctrinæ, quæ (licet SS. Patrum scriptis omnino consentiens, quod altis hærentes radicibus errores, mores perversos ac nefarios usus impeteret) passa esset periculum, ni prodeuntem sublimior tutata fuisset auctoritas. Quid ergo mirum si nostra hac ipsa tempestate non nisi cujusdam vindicis acerrimi sapientissimique freius auspiciis in publicum prodire detrectat? Verum enimvero quem

(1) *Ecli.*, xli, 17.

(2) *Matth.* xiii.

(3) *Job* iii, 8.